



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Aragoniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



# PROVINCIA ARAGONIÆ.



**H**ABET Aragoniæ Prouincia Socios  
307. Valentix in domo Professa 38.  
quorum viginti sunt Sacerdotes, reliqui  
Fratres rerum domesticarum admini-  
stri. In Collegio quadraginta, ex quibus  
Sacerdotes tredecim. In his Præcepto-  
res Theologiæ Scholasticæ duo, Moralis vnus, alter Posi-  
tiuæ: vnus repetit studia: alter Philosophiæ dat operam;  
Fratres Theologos tredecim: Philosophum vnum: Rhe-  
tores duos: cæteros rei familiaris curatores. In Cæsar-  
augustano Collegio quadraginta, Sacerdotes viginti  
vnus: quorum Theologiæ Moralis Professores duo, Fra-  
tres Casuistæ quinque, cæteri Coadiutores. In Barci-  
nonensi triginta, Sacerdotes quindecim, è quibus duo  
Professores scholasticæ Theologiæ: Fratres Theologi  
sex, reliqui Coadiutores. In Gandiensi vnus & viginti:  
Sacerdotes 7. Fratres quatuordecim, in quibus Gram-  
maticæ Præceptores duo, totidē eorum auditores: reli-  
qui Coadiutores. In Balearico viginti sex: Patres duo-  
decim, quorū duo Professores Philosophiæ, vnus Gram-  
maticæ, Fratres eiusdem Doctores tres, Philosophi

duo, cæteri Coadiutores. In Bilbilitano tredecim, Sacerdotes nouem, è quibus tres Grammaticam docent, cæteri in rerum domesticarum administratione verantur. In Turiasonensi viginti, Patres octo, in his una Grammaticam docet. Alter Philosophiam: Fratres Philosophos septem: Præceptorem Grammaticæ vnum. Coadiutores quinque. In Gerundensi viginti quinque. Patres decem, ex quibus duo Grammaticam tradunt, Fratres seminarij alumnos octo, reliquos Coadiutores. In domo Probationis Tarraconensi triginta sex, Sacerdotes octo, quorum quatuor sunt Nouitij, Fratres antiquiores quatuor, tyrones cæteri. In Vrgellensi Collegio, quod exeunte anno primùm incoli cœptum est quinque, Patres tres, Fratres duo, Scholasticus vnus, alter Coadiutor. Admissi septemdecim. Mortui quinque. Profecti ad Indos tres: in alias Prouincias quatuor.

## DOMVS PROFESSORVM VALENTINA.

**E**XERCITATIONVM spiritualiũ vñs apud Nostros hoc anno multò frequentior, quàm superioribus fuit. Poenitentium item numerus maior, videlicet ex Regis Philippi, ac Reginae Margaritæ in hanc urbem aduentu, omniumque fermè nationum concursu. Satisfactum omnibus, quoad licuit, Patrum, qui ex ijsdem Prouincijs adueniant, opera. Totius vitæ maculas eluerunt cum alij permulti, tum præcipuè senex annorum 60. qui eius rei causa totidem passuum millia confecit. Vix credibile est, quàm sæpè diu noctuque vocemur ad eos, qui in suprema lucta versantur. Concionantur interdum è Nostris

vno tēpore, domi, forisq; ſeni: Catechiſmus in foro tradi-  
 tur feſtis diebus, hūc excipit adhortatio ad circumfuſam  
 plebem nō inutilis. Quo in munere Moderatores, ipſi fa-  
 cem cæteris præferunt. Itum ad pagos finitimos multo-  
 rum bono. Mitto conciliatos diſſidentium animos. Reſti-  
 tuta legitimis dominis bona, cædes compreſſas, inſignes  
 morum conuerſiones: ne imperatæ breuitatis fines exce-  
 dam. In iuuandis capite damnatis ita Proregi, Regioque  
 Senatui Noſtrorum probatur induſtria, & fides, vt ve-  
 tuerint ne quiſquam alius id muneris obeat. Conſtat au-  
 tem id factum, vt pernicioſa quædam opinio, quæ nuper  
 irreperat, euelleretur è carcere. Primo Pentecoſtes die,  
 qui Spiritui Sancto templi noſtri tutelari ſacer eſt, con-  
 cionatus eſt domi Reuerendus Barcinonenſis, ſacrifica-  
 uit Coronenſis Epiſcopus, præſentibus Illuſtriſſimo hu-  
 ius vrbiſ & Herdenſi electo. Mox prandere voluerunt  
 Epiſcopi duo apud nos, aditante Archiepiſcopo hilari  
 vultu, & non obſcuras amoris notas præferente. Ciuium  
 in nos benignitas cum pietate certauit. Vtraque & ince-  
 pta noui templi parte ad faſtigium perducenda, & in  
 eam è veteri æde transferenda Euchariftia vehementer  
 enituit. Quam ad rem inſtituta more noſtro, propter lo-  
 ci diſtantiã, ad pietatem magis, quàm ad ſplendorem,  
 & faſtum, pompa per vicos domi continentes, aulæ ſi-  
 gnis, atque vexillis ornatos, Prorege vnã cum Magiſtrati-  
 bus vrbiſ vmbellam geſtante, Epiſcopo Coronenſi Eu-  
 chariſtiam manibus deferente, præeuntibus longo agmi-  
 ne viris trecentis cum facibus albis accenſis, dulci ſym-  
 phonia latè perſonante.

H V I V S domus fundator declaratus eſt Pater Chri-  
 ſtophorus Berenſius P. N. G. auctoritate. Is enim cùm eſſet  
 honeſto imprimis loco natus, & ampliffimis Magiſtrati-  
 bus ſæpè perfunctus, vxore mortua, ſacris initiatus, &  
 tribus ab hinc annis adſcitus in Societatem, ſtatim ad-

iecit animum ad domum fundandam, atque haud ita multò post suæ in Patrem Ignatium pietatis fructum vberem tulit. Nam cum illum dolore torqueretur ærimè, vna illius subscriptione, quam pio acceptam osculo capiti fidenter imposuit, medico, alijsque admiratione defixis, momento temporis dolorem omnino depulit. Neque illud prætereundum videtur, quod Patri Melchiorri Valpedrosæ huius domus Præposito contigit: quem cum ex diuturna febricula intempestiuè surrexisset è lecto, febris rursus inuasit multo vehementior, atque periculiosior, vt etiam de vita dubitaret. Huc etiam accedebat quòd grauissimo quodam cordis angore premebatur. In his ergo cum esset angustijs ad eiusdem subscriptionis auxilium, fiducia plenus confugit. Quam vbi religiosè exosculatus est, soluta repente mœroris nebula, quæ pectus occuparat, ad pristinam redijt mentis serenitatem: cumque mox adessent Medici, multò etiam melius habere testati sunt, sicque bidui tandem spatio è febre conualuit. De Sodalitate Spiritus Sancti illud non tacendum, quod eius opera exempti sunt vinculis hoc anno trecenti & quadraginta quatuor.

---

C O L L E G I V M  
V A L E N T I N V M.

**E**TSI plures hoc anno, quàm superioribus proximis agrotarunt; vnus tamen dumtaxat frater Abdon Balhesterius post diurnam amentiam ereptus est nobis. Qui quasi animo prælagret fore, quod paulò post accidit, vt exiret de potestate, maturè sese generali confessione in eum euentum comparauit. Quare ad superos euolasse credimus.

Eius

huius locum quinque suppleuerunt bonę indolis, atque  
 spectatę virtutis adolescentes. Exculti omnes per ali-  
 quot dies pijs Societatis meditationibus, nouos quosdam  
 Spiritus, animosque sumpserunt. Quatuor è Nostris Gym-  
 nasium publicum adeunt, duo quidem Philosophię, alij  
 verò duo Rhetoricę causa. Ex vtrorumque congressu,  
 pijsque de Deo sermonibus, & exemplo non exiguus  
 perceptus est fructus. E multis duo subiiciam. Primum  
 subdiaconus quidam in magno condiscipulorum coetu,  
 ipso vt fit disputationis ardore incensus, colaphum ei,  
 quicum disputabat, impegit. Qui digressus inde, abolen-  
 dę ignominię causa arundinem parare dicebatur, qua  
 percussoris terga pulsaret. Qua re cognita vnus è No-  
 stris læsum adit, eumque oratione sua sic lenijt, vt excla-  
 maret, quid sapientiùs, quàm mundi ludibria habere lu-  
 dibrio, & ea pedibus trahere quę tanti vulgo fiunt? Ne-  
 que ea iniurię contemptione contentus iuuenem adit, à  
 quo fuerat violatus, ab eoque manu præhensio prior ve-  
 niam petijt, quòd iustam furoris causam attulisset. Ea  
 res Societatis existimationem non mediocriter auxit.  
 Alterum non absimile. Sacerdos quidam alium è schola-  
 sticis cum malè verbis accepisset, Nostrorum hortatu, ab  
 eodem sibi supplex postulauit ignosci, sicque incendium  
 quod exarserat breui extinctum. Vidua quædam nouum  
 vitę genus ordiendi studio, vni è Nostris confiteri statuit;  
 sed ea quòd esset opulenta varijs quidam artibus ad fe-  
 cundas nuptias allicere frustra conatus, duos tandem su-  
 bornauit testes, qui iurati affirmarent apud Iudicem fi-  
 dem sibi ab ea datam matrimonij. Annus in ea lite con-  
 sumptus. Nec finis, donec testis alter hoc anno aqua af-  
 flictus intercute perijt, & sceleris auctor in mortiferum  
 morbum incidit. Quare illa periculo, metuque soluta,  
 nunquam desinit nobis secundum Deum gratias agere, à  
 quibus in proposita sententia confirmata, voti compos

euasit. Fests diebus sub vesperum, pium aliquod ex Sactorum historia narratur exemplum, & eorum plus opificibus: mox venitur ad verbera. AEs alienum magna ex parte dissolutum. Dati præterea liberalium multorum aurei 300. ad cõficiendas lipsanotechas de quibus vtrinque ornaretur ara maxima. Erectus denique paries in horto domestico, qui & aspectum, è proxima via spectantibus, & irrumperere conantibus aditum intercludit.

C O L L E G I V M  
C Æ S A R A V G V -  
S T A N V M.

**H**MULTIS, qui Societatem efflagitant, admissi sunt quatuor. Ciuum in nos liberalitatem cum cætero anno, tum Congregationis prouincialis tempore maximè insignem experti sumus, ita vt ad æris alieni partem non exiguam persoluendam redundarit. Iureconsultus quidam nostri ordinis amantissimus aureos mille in singulos annos nobis in morte legauit, ad fundandum vnâ cum alijs 600. à Fr. Hieronymo Oliuano relictis Oscense Collegium. Quamobrem Reuerendus admodum P. N. G. eam fundationem admisit. Alius item Iurisperitus Societatis studiosus imprimis ingenti tabula egregiè fictas imagines continente aram templi maximam exornauit. Ea aureis æstimatur mille sexcentis. Aucta etiam sacra suppellex ornatu plurimo, & vario. Lampas item argentea trecentorum aureorum pretio dono data, vt ante eâdem aram diu, noctuque colluceat. Adhæc fœmina quædam nobilis arcam nobis dedit condendo Christi D. Corpori hebdomada

mada sacrosancta, serica veste auro intexta suffultam, & argenteis extinsecus textam laminis, gemmisque per intervalla quædam auro, & argento circumclusis, Domini- cæ perpeffionis insignia referentibus. Stetit aureis trecentis. Archiducissa Austriæ cum hac forte transfiret, Collegium nostrum amâter inuifit, nec nisi data stipe regia benignitate digna discessit. Rex item Philippus, & Regina templum nostrum suo aduentu illustrare voluerunt. Quin & Regina ipsa in angustissimo Deiparæ Virginis sacello, cui à Columna nomen est, ab vno è Sacerdotibus nostris ibi sacrum faciente sacram Synaxim accepit. Doctrina Christiana quinque traditur locis, eique sæpè exhortatio succedit. Vtrimque fructus existit labori par.

SODALITATES omnes, quarum vna optimatum est, altera opificum, tertia Theologorum, & Philosophorum, quarta Rhetorum, & Grammaticorum augentur quotidie magis, & sodalium numero, & pietatis ardore. Primæ alterius sodales semel singulis mensibus publicum Valetudinarium adeuntes ægris abluunt manus, vngues præscindunt, componunt lectos, & corpora simul, mentesque reficiunt. Quotidie verò ex his nonnulli à Præfecto delecti, ægris prandentibus adsunt, & victos inuifunt: quorum ex numero trecentos hoc anno vinculis soluendos curauerunt. Quadragesimæ tempore singulis hebdomadis terna audiunt ab vno è Nostris è vita Sanctorum exempla: quæ terna quoque sequitur verberatio. Iuniores aliquot scemine confessionis ope ereptæ è præfenti pudicitia periculo. Duæ ab impuro corporis questu abductæ & honestè collocatæ hinc inde docte corrogata. Diebus etiam Beatæ Virgini sacris, modò tres, modò quatuor emergunt è turpitudinis cœno, ex ijs, quas Matrona quædam honestissima vnum in locum conuocatas suis sumptibus alit, his diebus pro sua in Virgine

gine



ginem pietate. Coniuges duo primæ nobilitatis, qui cum  
 dissidio, de dissoluedo matrimonio cum totius Regni  
 offensione cogitabant, Sacerdotis nostri opera in gratiam  
 reducti concordissimè viuunt. Vir quidam ditissimus,  
 norum facto naufragio, eò desperationis venerat, ut  
 profluentem præcipitare omnino constitueret: sed ob  
 ta cælitus luce perfusus ad nos venit, à quibus in op  
 mam spem erectus est. Sæpe itum ad carceres, ad No  
 dochia, ad pagos etiam vicinos, reditumque cum lucu  
 vt priuatæ, publicæque discordiæ sublata, confessiones  
 à primis annis repetitæ non pauca declararunt. E multa  
 vnum attingam instar omnium. Quidam auditis Nost  
 rum concionibus, audacia concepta, virus quod latebat  
 in pectore, parabat effundere; sed humani generis ho  
 ne elaberetur è manibus præda, nocte proxima ei ce  
 banti non semel ita collum constrinxit, vt sudore ma  
 dus è lecto surgeret, arteque complexus imaginem  
 Christi è cruce pendentis, quam habebat in cubiculo  
 defenderet. Vbi verò diluxit, statim venit ad Nost  
 vulnera aperuit, sanatus est.

## COLLEGIUM GANDIENSE.

**R**ETATIS ardor accensus, meditationibus  
 Patris Ignatij, quibus expoliti sunt omnes  
 Concionante Sacerdote nostro Quadragesi  
 mæ tempore, mirabiles extitere animorum  
 motus, indices manantes ex oculis lachrymæ, & ab imo  
 pectore ducta suspiria. Non defuit, qui in media concione  
 profiteretur coram testibus se acceptam iniuriam, pro  
 Christi amore libenter remittere. Eleemosynis inopia  
 leuata

leuata multorum. Finitimi pagi concionibus, aliisque ex instituto muneribus cum fructu lustrati. Domi etiam nihil prætermisum quod ad animorum salutem pertineret. Quidam inimico necem inferre omnino decreuerat, eique non semel insidias noctu tetenderat, ita propositi tenax, ut facinus tam immane dissuadenti Sacerdoti nostro responderit, adduci se nullo modo posse, quin meditata perficeret. Denique abire parantem, secum in proximum templum Pater introduxit: procumbunt ambo primum ante aram maximam, deinde ante Sacellum Deiparæ Virginis, Diuinum utrobique auxilium implorantes, sentit illicò Pater obortas homini lachrymas, surgit, ad genua accidit, per Christum, perque Virginem Matrem orat, & obsecrat ne fraternum effundat sanguinem. Hic ille pudore suffusus exclamat se nefarium illud ultionis consilium prorsus abijcere: quòd si iterum ad facinus stimuletur à Dæmone, sponte cessurum oppido, ne qua ignis scintilla relinquantur.

**BIBLIOTHECA** libris instructa lectissimis, opera P. Iosephi Villegas, & templum plurima veste serica, & auro purpuræque distincta, vasis item argenteis magni pretij ad usum sacrificij: denique sacrario, omnium quæ visuntur in hac Prouincia, longè pulcherrimo. In Gymnasio nostro Philosophiæ, ac Theologiæ laurea delata nonnullis, præsentibus semel, atque iterum ducibus, quorum benignitate auctum etiam est Collegij vectigal aureis triginta in annos singulos. Rex etiam Philippus cum hac iter haberet, Collegium nostrum peramanter inuisit. Instituta Sodalitas, in quam præter ducem, qui supplex à Patre Rectore petijt, ut se in eam adscriberet, dedere iam nomen è primoribus multi, qui ad pias exercitationes præstitutis diebus summo studio conueniunt, nihilque vehementius exoptant, quam ut ea ad Romanam aggregetur. Festum Conceptionis Deiparæ diem expiatis

expiatis animis, & sacro simul pane refectis, concione, I-  
tanijs, Oratione Latina & Dialogo, ara tunc primum col-  
lucentibus cereis tutelari Dei Matri ritè dicata, varioque  
carminum genere concelebrarunt. Quàm verò gravis  
Deo eiusque Matri noua Sodalitas, vel illud argumen-  
tū fuerit, quod cum tabella quæreretur, in quam Sodalitatis  
nomina referrentur, inuenta casu, an diuino consilio  
quædam alium in vsum multo antè comparata, totidem  
ordinibus distincta locorum quot erant nomina scriben-  
dorum. Hi erant 56. quem numerum explerat quidam  
qui ad diem dictum nomen suum dare recusauerat. In  
nocte proxima vigilans, ita intimis sensibus angitur, pre-  
miturque coepit, vt sibi animam agere videretur. Et quando  
initio Sodalitatis recordatio animum stimulabat, in pro-  
posito tamen permanebat. At cum rursus eodem angore  
premeretur vehementius, vt frigidus sudore manaret to-  
tus, viso etiam splendore quodam, omnino statuit ap-  
pripere Sodalitatem inire, sicque angor omnis abscessit; post  
dieque mane, vbi rem omnem, vti gesta fuerat, expul-  
sit, in eam receptus est. Alij non pauci, & in ijs Canonici  
quot idem efflagitant, sed iustis de causis excluduntur.

## COLLEGIUM BALEARICVM.

**E**XINCTVS hoc anno Collegij funda-  
tor, Raymundus Veri, vrbis huius Bayllius,  
elatusque equitum humeris in templum no-  
strum, celebri pompa, magnoque, & Cleri ro-  
tius, & omnium ordinum comitatu. Præbant cruces  
quatuordecim, habita ab vno è Nostris funebris concio,  
qua virtutes illius, & facta præclara commemoravit. O-  
ctavo

Quatuor post die celebratę Collegij nomine exequię pari concursu:habita etiam oratio a Nostro Rhetoricę Professore,non sine plausu.Addita varietas carminum.Sacellum arę maximę ædificari cœptum, cadaueri sepulchro, vt erat testamento cautum, religiosę mandando, quam ad rem collati iam sunt aurei mille, & ducenti. Equitum cœtus suauem virtutum odorem tota vrbe diffundit. Decretum hoc anno communi omnium consensu, vt quater singulis annis Sodalium expensis prandium præbeatur vinctis simul,& ægris.Alter etiam scholasticorum cœtus & pietate crescit, & numero.Inchoatum hoc anno alterum Philosophię curriculum, nondum superiore confecto, ne auditores nostri aliõ,vt sæpe fit, dilaberentur audita Rhetorica. Patris Nostri Ignatiij sanctitas nouis subinde miraculis fit illustrior in hac insula: quę omnia,quoniam seorsim tabulis publicis testata, & consignata,mittenda sunt Romam,hic omittenda duximus.

## COLLEGIUM GERVNDENSE.

**M**ERIQUE vacauerunt exercitationibus spiritualibus Patris Ignatiij. Ex concionibus autem,cæterisque muneribus tam domi,quàm foris in missionibus,is exitit fructus,qui tolet. Illud proprium,quod septem foeminę flagitiosę, audito concionatore Nostro,Quadragesimę tempore, ad honestatem traductę, quarum vna duas etiam filias, quarum pudicitiam prostituerat cum offensione multorum, secum ad Nostros causa confessionis adduxit. Vbi illud accidit ad Dei gloriam illustre, quod cum lupus, cui vna earum commissa fuerat,ægrę ferens prædam sibi è faucibus

bus præripi, iisdem penè vestigijs ad templum peruenisset, rem subodoratus Sacerdos noster hominem adit, et que tandem persuasit, ut vitam mutaret in melius. Christianæ fidei rudimenta quinque locis traduntur: inquit cum fructu, ut fœminæ, quæ cæteris dux erat ad Verem, conuersio, audita eius sceleris fœditate, monstrum. Legitimo coniuncti matrimonio nonnulli; vxores inductæ ad fidem coniugij seruandam inductæ. Alia à primario quodam viro litteris internuntijs, prece, precibus omnibus denique modis sollicitabatur ad facinus. At illi ne ad aures quidem admissis his omnibus, constans semper in proposito permanebat. Cum hæc non successisset, alia homo procaz aggressus est via. Ratus enim muliebrem animum qui preces, atque promissa respuisset, minis, atque terrore facillè victum iri, minatur daturum operam, ut quidam eius necessarius in vinculis miser periret. Sed cum illa forti animo respondisset, per se quidem licere eum, si ita meritus esset, è trabe suspendi: sed dam rursus in facie plagam comminatur. Hic illa, quæ existimat me, licet martyrij, licet ignominia metu Deum offensuram? etiam si corpus hoc in frustra discerpat, nunquam extorquebit. Hæc deinde perrexit ad nos confessionis, & consilij causa: vbi diuinis armis instructa nullam refugit dimicationem pro conscientia tuenda. Alius fidem alterius, castitatemque tentauerat; sed ex Sacerdotis nostri eiusmodi sceleris fœditatem exaggerantis oratione concepto timore, ita affectus est animo, ut cum amplam impunè peccandi occasionem nactus esset, dictorum memor, toto corpore contremuerit, quasi Sacerdos ipse supplicium minitans, ob oculos verfaretur sese continuerit in officio.

SED iam ad Grammaticæ scholas veniamus. Cum D. Iacobus Agullana Ecclesiæ Gerundensis Archidiaconus maior, studio erudiendæ bonis litteris, ac moribus

iunior

mentutis egisset cum P.N.G. ut eam Nostri provinciam  
 in hoc Collegio à se, suisque fundato suscipere, Gym-  
 nasium tribus aulais, theatro, atrioque pulcherrimū nobis  
 edificavit, illudque sex præterea cubiculis, & deām-  
 bulatione supernè constructis, cum cætera domo con-  
 iunxit. Quod igitur felix faustumque sit, repugnantibus  
 licet quibusdam à nobis nonnihil alienis, scholas ape-  
 ruimus postridie D. Lucæ, habita ab vno è Nostris Præ-  
 ceptoribus oratione, magna cum omnium ordinum, &  
 Episcopi voluptate, ac gratulatione. Qui carminum  
 etiam, quibus noua theatri, atrijque facies ornabatur,  
 varietate, & elegantia mirificè captus, ea ad se deferri  
 voluit, ut attenta lectione per otium liberius illis frue-  
 reretur. Paucis verò post diebus, humaniorum litterarum  
 Seminarij Magister orationem publicam habuit, eodem  
 planè concurtu, plausuque. Duæ Grammaticæ classes  
 institutæ suprema Seminarij, quod fundatoris ipsius ro-  
 gatu huc è Gandiensi Collegio translatum est: Auditores  
 nostri decem: externi verò centum quinquaginta nume-  
 rantur. Datum doctrinæ specimen domi, forisque. Nam  
 prandente apud nos eo die, qui D. Martino Collegij pa-  
 trono solemnis est, fundatore nostro vnâ cum alijs non-  
 nullis de Societate benemeritis, habita fuit ab alumnis  
 Seminarij sex linguarum oratio, non minore accumben-  
 tium voluptate, quàm admiratione. Duo item ex disci-  
 pulis externis ipso ortus Christi D. peruigilio, uti quot-  
 annis mos est, flagrantibus Canonicis perorarunt, vnus  
 quidem in templo maximo, alter verò in aede S. Felicis,  
 tanta vterque venustate, ut & Societatis existimationi,  
 & expectationi audientium pro dignitate responderint.

## COLLEGIUM BIL- BILITANVM.

**D**VO è 14. decessere, magno uterque fide-  
fiderio relicto: Prior quidem Pater Laurencius  
Bonzillas professus trium votorum, cuius  
ctata in primis integritas, obedientia, animi  
submissio. Vixit in Societate annos 28. ita addictus con-  
fessionibus, præcipuè tenuiorum, & egentium, ut ab-  
der & sine cunctatione ad templum, ad Xenodochia, ad  
carceres, quocumque denique vocaretur, accederet.  
Posterior verò F. Georgius Perefus, insita animi leu-  
tate, morum candore, obedientia, laborisque studio non  
minus admirabilis, quam amabilis omnibus. Paucis  
operariorum, diligentia, & studio sui, alienique pro-  
ctus compensatur. Domi, forisque diu, ac noctu stre-  
laboratur. In æde maxima vnus è Nostris, alij ita in  
vicinis oppidis Quadragesimæ tempore cõcionati, mi-  
tis profuerunt. In confessionibus non frustra positus li-  
bor. Matrona quædam cum famulæ esset iratior, ne con-  
tumelijs, quas furor ministrabat, eam oneraret, sibi co-  
laphum impegit; ut vel sic assu esceret iracundiam tem-  
perare. Quidam laqueum parauerat, quo vitam, quam  
præ inopia sustentare non poterat, morte finiret; ve-  
rùm perductus ad vnum è Nostris, benè de diuina boni-  
tate, ac prouidentia sperare visus, & collecta adiuta  
stipe discessit. Fœminæ quatuor impuram viuendi  
rationem honesto matrimonij iure mutarunt. Scho-  
læ Grammaticæ auditores numerant supra quingentos.  
Instaurata hoc anno studia declamationibus quatuor  
de quatuor anni temporum dignitate, atque præstantia,  
vniuersæ quæ aderat Ciuitati non mediocrem volupta-  
tem

COLLEG. TVRIASONENSE. 555

rem attulere. A Sodalibus B. Virginis multa pie gesta ad  
 vicinam pestem auertendam. Nam & his in hebdomada  
 de flagris ceciderunt, & quotidie B. Virginis litanias re-  
 citarunt. Ex his ad Societatem vnus, aliò nouem animi  
 adiecerunt. Ad ædificationem noui Collegij aurei da-  
 ti octingenti.

COLLEGIUM  
 TVRIASONENSE.

**D**OMVS hoc anno exiguo sumptu in formam  
 edacta meliorem, nostrisque vsibus magis ac-  
 commodatam. Subsidio fuere aurei 250. piorum  
 benignitate collati. Pari etiam hic Sodalium  
 pietate certatum ad pestem, quæ non longè ab vrbe graf-  
 sabatur, arcendam. Missi Patres duo, Aduentus tempore,  
 in oppidum frequentissimum, maximos fecerunt motus  
 animorum: templa omnia poenitentium agminibus com-  
 plebantur, & vt vno verbo complectar, Niniuen diceres.  
 Temerè iurandi consuetudo sublata. Expulse concubinae.  
 AEs alienum restitutum. Audiri de tota vita permulti, &  
 in his vnus, qui annum iam vndetrigesimum vtroque sa-  
 cramento abstinebat. Ad Catechesim audiendam ipsi  
 etiam Proceres, vtilitate, vt ipsimet affirmabant, illecti,  
 ventitabant. Maritus quidam redijt ad vxorem, à qua  
 publici sceleris causa discesserat: filius item parentem  
 non minus ætate (agebat enim annum septuagesimum  
 quintum) quam morbo affectum exegerat domo, magna  
 oppidi totius offensione. Is concionibus ita permotus  
 est, vt Sacerdotem nostrum statim adierit, & inde in Va-  
 letudinarium, quo Pater olim diues, paupertatis, & mor-  
 bi causa concesserat: quò cum venisset, ante lectum de-



cumbentis sine mora procumbens, multis cum lacrymis ab eo veniam petijt, eumque secum reduxit domum non sine gratulatione multorum. Coruzanæ duplex templum, vbi tùm forte de amore erga inimicos dicere ingressi, ita sunt repente mutati, vt alter arma, quæ tra familiam quandam sumpserat, sponte deponeret in ignem iniiceret chartam, qua oppidanos quosdam ob illatas sibi iniurias Sacrorum communionem priuam curauerat. Data opera, vt in posterum Sacerdotes doctrinam Christianam more nostro publicè tradant pueris, & adultis rudioribus.

## COLLEGIUM BARCINONENSE.

**D**VO hinc migrarunt in coelum, quantum morte vitæ laudabiliter actæ confectæ conijci potest. Primus Mathias Alcoce magnæ spei, probitatisque Theologus, cuius diuturna corporis tæbe animi virtus eluxit. Alter P. Guilhelmus Olto, natione Anglus, qui è triremibus regni mortifero affectus morbo, huc appulit. Mirus externorum auditorum ad Doctores nostros concursus. Thele annuas illustriores reddiderunt aduentu suo, cum vique grauissimi omnium ordinum, tùm potissimum Consules cum insignibus, iucundum planè omnibus spectaculum, & insolitum. Ea porrò est Nostrorum doctrinæ apud omnes existimatio, vt sæpe de questionibus ad officium pertinentibus consulantur. Catechismus quatuor locis explicatur diebus Dominicis. Singulis verò hebdomadis Aduentus, & Quadragesimæ, scholastici, alijque non pauci ternas adhibent verberationes, reliquo anni tempore

Fore binas; vtrasque exempli narratio fructuosa præcedit. Confessionum fructus minimè contemnendus. Virgines quinque sexve varijs sese religiosis ordinibus adixerunt. Vtraque Congregatio, scholasticorum videlicet, & opificum, assiduis exercitationibus non parua quotidie capit incrementa. Neque ex missionibus minor extitit fructus: superstitionum abusus expulsus, & aleæ; male parta dominis, & viris nonnullis vxores redditæ. Maritus vxori, alij duo inimicis necem struebant: sed Nostorum suafu ab ea mente deducti.

## DOMVS PROBATIONIS TARRACONENSIS.

**I**N vicina oppida catechismi causa dimissi tyrones, multis per eam occasionem salutis fuerunt. E veteranis verò vnus filiu cum matre, sorore, sororisq; viro, à quibus septimum iã annum cum offensione ciuium distidebat, reduxit in gratiam. Quidam alius à cæde fraterna, quam parato veneno coquebat animo, Sacerdotis nostri oratione deterritus. Sacerdotes duo in finitimos profecti pagos, cum multa præclara gesserunt, tum illud in primis, quod iniquas multorum pactiones rescindendas, atque adeò male partam pecuniam suis dominis reddendam curarunt. In oppido quodam omnes incolæ animos sacris expiarent, præter duos, tresvè, è quibus vnus cum in postrema catechesi à Patre nostro de filiorum aduersus parentes pietate verba faciente, tritum illud audisset exemplum de bufone, qui in filij cuiusdam ingrati faciem irrepresentat, postridie mane Patres qui in aliud oppidum discesse-

rant, adiit, palamque confessus est, se simili fere exemplo licet poena dissimili, neglecta in parentem pietatis admonitum. Nam cum artis, quam exercebat, instrumentis manum admoueret, ingentem bufonem offendit, cuius aspectu totus inhorruit. In alio quodam oppido iuuenes in duas diuisi factiones, mutuam sibi necem nocturnis cursuionibus moliebantur: sed Dei benignitate factum, ut cum publica, tum priuata Nostri um oratione ac cum odio deposuerint. In alio vero animam agebat infantula recens nata, quam rudis obstetrix illis verbis baptizarat, Ego te baptizo in nomine Dei, atque Deipara. Adfuit in tempore Sacerdos Noster, qui cum errore cognito, quod procul aberat Parochus, ritè baptizauit. Quodam ita oderat Sacerdotem toto quinquennio, ut cum ab illo pro officio sacrum viaticum deferretur ad agrum quemdam domi suæ decumbentem, è lecto, ubi aeger se iacebat, exiliens aditu prohibuerit. Multis, & auctoritate, & dignitate principibus viris suam ad eum placidam auctoritatem frustra interponentibus, placuit Deo per vnum è Nostri implacabilis odij flammam extinguui, ut se mutuis nunc officijs, singulari cum benedictione, amorisque significatione protequantur.

## COLLEGIUM VRGELLENSE.

**R**È VERENDISSIMVS D. Andreas Capilla Vrgellensis Episcopus, ut est non Societatis modò, sed communis etiam utilitatis studiosus, nihil antiquius habuit, quam ut Collegium nobis ædificaret, quod esset quasi propugnaculum vicinis Hæreticis oppositum, & veluti ara quædam vnde Nostri

Nostri in omnem illam longè, lateque patentem dioecesim excurrerent. Quare cum superiore anno aureorum viginti quinque millia benignè promississet ad fundandum in præcipua suæ diœcesis vrbe Collegium, hoc anno fidem soluit. Itaque ei debitum fundatoris nomen P.N.G.auctoritate delatum est. Interim verò dum commodam nobis ædem à fundamentis excitandam curat, domum quamdam satis laxam, & nostris muneribus ob-eundis aptam emit, vbi nunc eodem flagitante quinque versantur è Nostri: quorum tres Sacerdotes, Fratres duo. Fuit eorum aduentus vrbi gratissimus, vt dies initæ possessionis, Antistite ipso, multa de nobis pro concione prædicante, non obscure demonstravit. Sic verò pauci illi munera partiuntur inter se, vt duo foris lucra quæ-rant animarum, cæteri domi manentes ad ciuium salutem incumbant. Et vt se dant initia, speramus fore, vt ex illius agricultura vberiores quotidie fructus colligantur.



PRO